# IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

# CODICIS DOMINI IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS, perpetui auguſti, repetitæ prælectionis, incipit conſtitutio prima.

## DE NOVO CODICE faciendo.

*Imperator* Iuſtinianus *Auguſtus ad Senatum urbis Conſtantinopolitanæ.*

HÆC quæ neceſſariò corrigenda eſſe multis retrò principibus viſa ſunt, interea tamen nullus eorum ad effectum ducere auſus eſt: in præſenti rebus donare communibus auxilio Dei omnipotentis cenſuimus, & prolixitatem litium amputare: multitudine quidem conſtitutionum, quæ tribus codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, atq. Theodoſiano continebantur, illarum etiam quæ poſt *eoſdem codices à Theodoſio diuinæ recordationis*, aliiſque poſt eum retrò principibus & à noſtra etiam clementia poſitæ ſunt, reſecanda: vno autem codice ſub felici noſtri nominis vocabulo componendo, in quem colligi tam memoratorum trium codicum, quàm nouellas poſt eos poſitas conſtitutiones oportet.

1 ¶ *Idcòque ad hoc maximum*, & ad ipſius reipublicæ ſuſtentationem reſpiciens opus efficiendum, elegimus tanto faſtigio laborum, tantæque ſollicitudini ſufficientes, Ioannem virum excellentiſſimum ex quæſtore noſtri palatij, conſularem atque patricium, Leontium virum ſublimiſſimum magiſtrum militum, ex præfecto prætorio, conſularem atque patricium: Phocam virum eminentiſſimum, magiſtrum militum, conſularem atque patricium: Baſilidem virum excellentiſſimū, ex præfecto prætorio Orientis, atque patricium: Thomam virum glorioſiſſimum quæſtorem ſacri noſtri palatij, & exconſule: Tribonianum virum magnificum, magiſteria dignitate inter agentes decoratum: Conſtantinum virum illuſtrem, comitem ſacrarum largitionum inter agentes, & magiſtrū ſcrinij libellorum, ſacrarúmque cognitionum: Theophilum virum clariſſimum, comitem ſacri noſtri conſiſtorij, & iuris in hac alma vrbe doctorem: Dioſcorum & Præſentinum, diſertiſſimos togatos fori ampliſſimæ præfecturæ.

2 ¶ *Quibus ſpecialiter* permiſimus (reſecatis tam ſuperuacuis quantum ad legum ſoliditatem pertinet præfationibus, quàm ſimilibus, & contrariis: præterquam ſi iuris aliqua diuiſione adiuuentur: illis etiam quæ in deſuetudinem *abierunt) certas & breui ſermone conſcriptas* ex iiſdem tribus codicibus & nouellis conſtitutionibus leges componere, & congruis titulis ſubdere: adiicientes quidem & detrahentes, immò & mutantes verba earum vbi hoc rei commoditas exigeret: colligentes verò in vnam ſanctionem quæ variis conſtitutionibus diſperſa ſunt, *& ſenſum earum clariorem efficientes: ita tamen, vt ordo temporum* earum conſtitutionum non ſolum ex adiectis diebus conſulibúſque, ſed etiam ex ipſa compoſitione earum clareſcat: primis quidem in primo loco, poſterioribus verò in ſecundo ponendis. & ſi quæ earum ſine die & conſule in tribus veteribus codicibus, in quibus nouellæ conſtitutiones receptæ ſunt, inueniantur: ita his ponendis, vt nulla que dubietate ſuper generali earum robore ex hoc oriunda. ſicut & illas vim generalis conſtitutionis obtinere palam eſt, quæ ad certas perſonas reſcriptæ, vel per pragmaticam ſanctionem ab initio datæ, eidem nouo Codici propter vtilitatem ſanctionis inſertæ fuerunt.

3 ¶ Hæc igitur ad veſtram notitiam *ferre properauimus*, vt ſciatis quanta nos diuturna ſuper rerum communi vtilitate cura ſollicitet, ſtudentes certas & indubitatas, & in vnum codicem col*lectas eſſe de cætero conſtitutiones*, vt ex eo tantummodo ſub felici noſtro nomine nuncupando Codice, recitatio conſtitutionum in omnibus ad citiorem litium deciſionem hac indicitur. Dat. *Idib.* Febr. CP. D.N. Iuſtiniano PP. A. II. Coſſ.

## DE IVSTINIANEO CODICE confirmando.

*Imperator* Iuſtinianus *pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Menæ præfecto prætorio, & ex præfecto huius almæ vrbis CP. & patricio.*

SVmma reipublicæ tuitio ſtirpe duarum rerum, armorum ſcilicet atque legum veniens, vimque ſuam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus omnibúſque gentibus dominari tam præteritis effecit temporibus, quàm

# CODICIS DOMINI IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS, PERPETVI Augusti, repetitæ prælectionis,

## LIBER PRIMVS INCIPIT FELICITER.

### *DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE Catholica, & vt nemo de ea publicè contendere audeat.*

## TITVLVS I.

Imperatorum *Gratian. Valentinian. & Theodoſ.* AAA. Edictum ad populum vrbis Conſtantinopol.

CVNCTOS populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque adhuc ab ipſo, inſinuata declarat, quamque pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, vt ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, euangelicamque doctrinam, Patris & Filij & Spiritus ſancti vnam deitatem ſub pari maieſtate & ſub pia trinitate credamus.

1 ¶ Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes, veſanóſque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, diuina primùm vindicta, poſt etiam motus animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus vltione plectendos. Dat. III. Kal. Mart. Theſſ. Gratiano A. V. & Theodoſio A. Conſſ.

2. *Idem* AA. Eutropio præfecto prætorio.

NVllus hæreticis miniſteriorum locus, nulla ad exercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiam ſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito ab huiuſmodi hominum genere impetratum ſit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ, vnius & ſummi Dei nomen vbique celebretur. Nicænæ fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atque aſſertione firmatæ obſeruantia ſemper manſura teneat.

1 ¶ Is autem Nicænæ aſſertor fidei & catholicæ religionis verus cultor accipiendus eſt, qui omnipotentem Deum & Chriſtum Filium Dei vno nomine confitetur: Deum de Deo, lumen de lumine: qui Spiritum ſanctum, quem ex ſummo rerum parente & ſperamus & accipimus negando non violat: apud quem intemeratæ fidei ſenſus viget, & incorruptæ trinitatis indiuiſa ſubſtantia, quæ Græco verbo ὁμουσία rectè credentibus dicitur. Hæc profecto nobis magis probanda, hæc veneranda ſunt.

2 ¶ Qui verò non iiſdem inſeruiunt: deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen adſumere, & ſuis apertis criminibus denotentur: atque ab omni ſubmoti eccleſiarum limine penitus arceantur: cùm omnes hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus. ac ſi quid eruptio factioſa tentauerit, ab ipſis etiam vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus, vt cunctis orthodoxis epiſcopis qui Nicænam fidem tenent, catholicæ eccleſiæ toto orbe reddantur. Dat. IV. Id. Ian. C. P. Fl. Eucherio, & Fl. Syagrio CC. Conſſ.

3. Impp. *Theodoſius & Valentinianus* AA. Hormiſdæ PP.

DEcere arbitramur noſtrum Imperium ſubditos noſtros de religione commonefacere, ita enim & pleniorem adquiri Dei ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti benignitatem poſſibilem eſſe exiſtimamus, ſi quando & nos pro viribus ipſi placere ſtuduerimus, & noſtros ſubditos ad eam component curerimus.

SAncimus igitur, vt omnia quæcunque Porphyrius ſua pulſus inſania aut quiuis alius contra religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcunque inuenta fuerint, igni mancipentur. Omnia enim prouocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus.

1 ¶ Præterea ſancimus, vt qui aſſectantur impiam Neſtorij opinionem, vel nefariam eius doctrinam ſectantur, ſi epiſcopi aut clerici ſint, ab eccleſiis eiiciantur, ſi laici, anathematizentur, ſecundum ea quæ iam à noſtra diuinitate ſint conſtituta licentiam habituris orthodoxis, quicunque voluerint, ſecundum noſtram legiſlationem, abſque metu & damno ipſos propalare & accuſare.

3 ¶ Quoniam verò peruenit ad pias noſtras aures, quod quidam doctrinas quaſdam conſcripſerunt & ediderunt ambiguas, & non per omnia aſſpraecisè congruenter expoſitæ orthodoxæ fidei à ſancta ſynodo eorum ſanctorum patrum, qui Nicææ & Epheſi conuenerunt, & à Cyrillo piæ memoriæ, qui fuerat magnæ Alexandriæ ciuitatis epiſcopus: iubemus ea ſcripta huiuſmodi ſcripta ſiue ante ea, ſiue nunc, potiſſimum autem ea, quæ Neſtorij ſunt, comburi, & perfectiſſimo interitui mancipari, ita vt in nullius cognitionem venire poſſint. his, qui talia ſcripta aut tales libros habere aut legere ſuſtinuerint, vltimum ſupplicium experturis de cætero nulli patente licentia, præter expoſitam fidem (vt diximus) tam Nicææ quàm Epheſi, aliud quid vel dicere vel docere tranſgreſſoribus nimirum huius noſtri diuini præcepti, ea pœna, quę continetur lata aduerſus impiam Neſtorij fidem, lege, ſubiiciendis.

in prouinciam tranſmitti, & portitori dari iubemus ſex, præſide curante per omnes ciuitates ſuæ prouinciæ legem promulgari ſine vlla impenſa præſidis vel decurionum vel portitoris. Et ſi quis ex ea re quid perceperit, in duplum tenetur, & magiſtratus dignitatem amittit, officialis officium.

## DE LVCRIS ADVOCATORVM, ET concuſſionibus officiorum ſeu apparitorum.

### TIT. LXII.

1. Imp. *Conſtantinus* A. ad Ælianum proconſulem Africæ.

SI quis à ducenariis vel centenariis vel *ſexagenariis* vel ab aduocatis læſum ſe eſſe cognoſcit, adire iudicia, & probare iniuriam non moretur: vt in eum qui conuictus fuerit, competenti ſeueritate vindicetur. Dat. Kalen. Nou. Treuiri. Conſtantino A. IIII. & Licinio IIII. Coſſ.

2. *Idem* A. Eubulidæ Vic. Africæ.

PRæter ſolennes & canonicas penſitationes, multa à prouincialibus indigniſſime poſtulantur ab officialibus & ſcholaſticis, non modo in ciuitatibus ſingulis, ſed etiam manſionibus, dum ipſis & animalibus eorundem alimonia ſine pretio miniſtrentur. Prouinciales itaque eius iudice tueantur, nec iniuriis multari vlterius permittantur. Datum III. Kal. Iul. Leontio & Saluſtio Coſſ.

3. Impp. *Arcadius* & *Honorius* AA. Pompeiano Procon. Africæ.

QVotiens compulſor arguitur in depr[æ]datione bonorum, etiam non conſulta clementia noſtra pœnam ſubeat legibus competentem. Dat. prid. Kalend. Ian. Med. Stilichone & Aureliano Coſſ.

4. Impp. *Honorius* & *Theodoſius* AA. Adriano PP.

CVrialibus & nauiculariis, omnibuſque corporibus ita ſubueniri volumus, vt nihil apparitoribus vniuerſorum iudicum liceat, quod ad prædam prouincialium pertinet.

## DE PRIMIPILO.

### TIT. LXIII.

1. Impp. *Valerianus* & *Gallienus* AA. Domitio.

C[illegible] primipilatus poſt adminiſtrationē incipiunt deberi, & ſi is qui ea percipere debuit, prius rebus humanis eximatur, hæredi libera petitio ſalua ſit.

2. Impp. *Diocles.* & *Maxim.* AA. Alexandro.

OBtentu nominis primipili, ciuiles actiones ad alios iudices transferendæ non ſunt.

3. *Idem* AA. Domnæ.

VTilitas publica præferenda eſt priuatorum contractibus: & ideo ſi conſtiterit ſi co *ſatisfactum* eſſe ob cauſam primipili, poteris obligatam tibi poſſeſſionem dotis titulo petere, vt ſatis doti fieri poſſit.

4. *Idem* AA. Dionyſio.

CVm ex ſola primipili cauſa liberos, etſi parentibus hæredes non exiſtant, teneri diuus Aurelianus ſanxerit, ſi neque ſucceſſiſtis patri veſtro, nec quicquam ex bonis eius tenetis, conſequens eſt à paternis creditoribus vos non conueniri.

## PVBLICÆ LÆTITIÆ VEL CONſulum nunciatores, vel inſinuatores conſtitutionum, & aliarum ſacrarum vel iudicialium literarum, ex deſcriptione, vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum.

### TIT. LXIIII.

1. Impp. *Grat. Valen. & Theod.* AAA. Floro P.P.

QVotiens noſtrorum quæquam nuntiari contigerit proſperorum, vt bella ſi deſinunt, ſi oriuntur victoriæ faſtus, ſi honor datus fuerit regalium, vel conſulum vel trabearum, compoſitio pacis erit aſſerenda tranquillitas, ſi ſacros vultus inhiantibus forte populis inſecimus, hoc ſine immodico pretio nuntiari excipiat. ſancimus acceptum eſſe iubemus ex ditiſſimis indigentib. non numerariis eſſe præbendum iudices ſtatuimus eſſe ſollicitos, ne turpi cautione quæratur ex miſeriis pretium gaudiorum. Quod ſi id ſacrilegi fuerit, diſſimulatione violatum, & accipientis pudoris fortunarumque manebit excidium, & cogentem par pœna mulctabit, & officium triginta librarum auri vexatione quatietur. Dat. III. Non. Febr. CP. Merobaude II. & Saturnino Coſſ.

2.

COnſtitutio vult, ſingulas prouincias inſinuatoribus ſacrarū literarum vel generaliū Conſtitutionum vel publicorum commonitoriorum vel ſtatutorum ſex dumtaxat ſolidos dari, & ab eo qui amplius acceperit, quadruplum reddi, hoc inhibente præſide et Epiſcopo & primoribus ciuitatis omni quæ tam ciuili quàm fiſcali adminiculo, niſi velit Epiſcopus in principis indignationem incurrere. Præſes bonis & dignitate & ciuitate mulctari. Curet autem officium hæc deſcriptionem fieri, et in cauſis vtcra ſex aureos, nec ab inuitis, & ab accipiente quadruplum inferri. At cum ciues ſe ipſos volunt deſcribere operis publici vel frumenti coëmendi cauſa, & hoc ſibi concedi à principe petunt, nihil oportet legi ex hac cauſa, ne ſacerdotes indignationem eandem incurrant, præſides dignitatem amittant & publicentur, officiales in corpus torqueantur, niſi principi detulerint, quicquid contra hanc conſtitutionem fuerit admiſſum: poſſunt enim deſcripti reſiſtere deſcribentibus: vel ſi nequeant reſiſtere, licet eis inuocare præſidem, & deferri principi. Sed non oportet patres ciuitatum vel ſitonas vel ſuſceptores ex reditibus quos habent in manu quidquam præbere, ſed eorum quantitatem deſtinatæ neceſſitati ſeruare debent. Quod ſi præſes violarit, de ſuo eos reditus implebit. Fiſcales enim & ciuiles res imminutas ſeruari neceſſe eſt.

# CODICIS DOMINI IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REpetita prælectione.

# FINIS.

# IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI IESV CHRISTI, INCIPIT LIBER CONSTITVTIONVM Nouellarum D. N. Iuſtiniani ſacratiſſimi principis perpetui Auguſti.

## COLLATIO I.

### DE HÆREDIBVS ET FALCIDIA.

### TITVLVS I.

## NOVELLA CONSTITVT. PRIMA.

*Imperator Iuſtinianus Auguſtus Ioanni glorioſiſſimo ſacrarum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.*

PRÆFATIO.

OCCVPATIS nobis circa totius reipublicæ curas, & paruum nihil eligentibus cogitare, ſed quatenus Perſæ quidem conquieſcant, Vandali verò cum Mauris obediant, & Carchedonij antiquam recipientes habeant libertatem, Tzani autem nunc primum ſub Romanorum facti republica, inter ſubiectos habeantur: (quod nondum hactenus, niſi ſub imperio noſtro, dedit Romanis Deus) incurrũt etiam propriæ ſollicitudines à noſtris ſubiectis ſemper nuntiatæ: quarum quidem ſingulis damus competentem formam. Quæcumque verò frequenter quidem potiuntur per partes auxilio, poſſibilia tamen ſunt ſcripta lege, vt communem omnibus præſtent (in quibus opus habent) vtilitatem: hæc oportere putauimus & lege ſancire, & tradere ſubiectis per ſe iuuantia, & non ſemper iuſſione imperatorum egentia.

1 ¶ Semper igitur nobis importuni ſunt, alij quidem nos pro legatis relictis, non tamen præbitis adeuntes: alij verò pro libertatibus: alij ob aliud quiddam: quod tranſmittentes quidem hæreditates dari quibuſdam aut fieri conſtituerunt: hi autem & res adeunt, & eas percipiunt: & quod eſt iuſſum, non faciunt: tametsi vtique etiam à veteribus legiſlatoribus dictum ſit, competentes deficientium diſpoſitiones, quæcumque non repugnant legibus, omnibus modis impleri. Sed quoniam ita poſitas leges iam plerumque neglectas inuenimus: reparare eas iudicauimus oportere: & tam viuentibus præbere ex eis cautelam, quàm morientibus, hinc exhibere honorem.

2 ¶ Primum itaque illud eſt cogitandum, quia teſtantibus aliis quidem neceſſitatem imponit lex diſtribuere quandam partem perſonis quibuſdam, tanquam hoc ſecundum ipſam naturam eis debeatur, quale eſt filiis & nepotibus, & patribus atque matribus: interdum verò etiam fratribus, & ſi quã huiuſmodi perſonarum, aut ex iis qui ex nobis ſunt, aut ex quibus nos ſumus, enumerauerunt leges. Aliis autem nulla cuiuſdam neceſſitas partem dare quamlibet propriæ ſubſtantiæ: ſed ſua poteſtas eis largitur, ad quoſcumque dictatus voluerit, proferenda.

*Si hæres legata ſoluere noluerit.*

CAP. I.

HIs igitur à nobis præordinatis, ſancimus eos qui ab aliquibus ſcripti ſunt hæredes, aut meruerunt fideicommiſſa, per vniuerſitatem forſan, aut per ſpeciem, aut legatum neceſſitatem habere quæcumque teſtator & honorans eos, diſpoſuerit, omnimodo ea complere, ſi quod præcipitur, legitimum ſit: aut ſi non illud aliqua lex prohibeat, vel ſi non fiat ab eo qui honoratus eſt, tamen ratum eſſe expreſſè iam demonſtrat.

1 ¶ Si quis autem non implens quod diſpoſitum eſt: ſed dum competat ei qui honoratus eſt, quod relictum eſt, etiam ex decreto iudicis admonitus, annum totum protraxerit, non agens hoc quod præceptum eſt, ſi quidem aliquis illorum fuerit, qui neceſſariò ex lege præcipiunt, in plus autem quàm quod lex ei dare vult, ſcriptus eſt hæres: tantum accipiat ſolùm, quantum lex ei dare ſecundũ quartam ab inteſtato partem concedit: aliud verò totum auferri. Et ſi quidem etiam alij quidam ſcripti ſunt hæredes, accreſcere illis ſecundũ partem inſtitutionis quæ vnicuique diſtributa eſt. Si verò nullus alter ſit hæres, aut hi quidem ſcripti quidam, non adeant hæreditatem: tunc quod aufertur, adiiciatur aliis rebus: & licentia præbeatur & legatariis, & fideicommiſſariis, & ſeruis libertate honoratis, adire, & ad hæc adquirentibus eo omnibus modis quod præceptum eſt, per teſtatorem

NOVELLA CONSTITVT. CLXVIII.

HÆc eſt περὶ ὁμοδούλων id eſt, de prædiis hominibúſve prædiorum ratione eidem domino ſeruientibus. His ſolent accreſcere inuitis defecta deſertíve prædia eiuſdem ſubſtantiæ, vt diximus. Nou. 128. & 166. denique ἐπιβολὴ onus eſt [illegible] & irrogatur ruſticis prædiis tantùm. Nam & hæc ſola referuntur in cenſum, non annonæ ciuiles, non ædes. Et ideò in tit. Dig. de cenſibus, agrorum tantùm cenſendorum mentio fit: ne quod eſt de ſeruis, l. 4. §. in ſeruis, id eſt, de ruſticis tantùm accipio, qui pars agrorum ſunt, vt dixi ſuprà Nouel. 7. Sed & quod dicitur de tributo capitis l. 4. id in agris tantùm locum habet, non in vrbibus aut metrocomiis, l. 1. C. de capitu. l. 8. de exact. trib. Prædiis igitur vrbanis aut annonis ciuilibus non irrogatur agrorum ἐπιβολή, quia nec ſunt ὁμόδουλα, nec ſatis eſt ſi ſint eiuſdem originis.

# IVSTINIANI IMPERATORIS EDICTA.

## HENRICO AGYLÆO INTERPRETE.

*Edictum ſcriptum in omni terra piiſſimis Archiepiſcopis & ſanctiſſimis Patriarchis.*

TRADITÆ nobis à Deo reipub. curam habentes, & in omni iuſtitia viuere noſtros ſubiectos ſtudentes, ſubiectam legem conſcripſimus: quam & tuæ ſanctitati, & per eam omnibus qui tuæ prouinciæ ſunt, facere manifeſtam, bene habere putauimus. Tuæ igitur ſit reuerentiæ & cæterorum hoc cuſtodire: & ſi quid tranſcendatur à iudicibus, ad nos referre: & quæ ſequuntur.

NE PRÆSIDES IN FISCALIBVS cauſis fidem publicam dent.

### EDICTVM II.

*Idem Imperator Ioanni prætoriorum præfecto.*

PRÆFATIO.

EX iis quæ à gloria tua ſine ſcripto ad nos relata ſunt, non exiguam publicorum tributorum illationi difficultatem prouinciarũ præſides, dum quibuſlibet fidem publicam dant, attuliſſe cognouimus. Eos enim qui tributa publica ſuſcipiunt, inde ſibi ſecuritatem atque iuramentum prætendentes, quod aurum ipſis perſolutum ſit, non tranſmittere, ſibíque maximam partem retinere, & cùm aurum debeant, malè ſibi data fide publica abuti.

1 ¶ Miſſa igitur ad excellentiam tuam hac ſacra pragmatica forma, ſtatuimus, vt per edicta ſua omnibus clariſſ. prouinciarum præſidibus interdicat, ne in fiſci cauſis fidem publicam dent, in priuatorum autem ſolùm cauſis liceat ipſis, iis qui id deſiderant, fidem publicam dare, iſque ad certũ tempus: quod non cõtinuò poterunt, vbi elapſum fuerit, denuò renouare. Sciant verò omnes, quod vbi tales ſecuritatis promiſſiones ab illis acceperint, nullam inde vtilitatem ſenſuri ſunt: ſed facultas cuicunque, cui hoc iniunctum eſt, vt quæ ab illis debentur publica tributa perſoluat, fuerit, vt illos comprehendat: vt quæ illis in prouincia data fides publica fuerit, in nulla re ipſis vtilis futura ſit. Cæterùm illi ſoli ſecuritatem habeant, qui aut ad ſacram noſtram iuſſionem, aut ad excellentiæ tuæ mandata ſecuritatis promiſſiones abſtulerint.

CAP. I.

POſteaquam etiam à gloria tua edocti ſumus, quomodo nonulli in diuerſis prouinciis, inquiſitione in eos qui ſe hæreticorum erroribus dediſſent facta, cùm multos ſubditos hanc ob cauſam comprehendiſſent, ſportularum ratione magnam vim auri ab ipſis ceperint: ſancimus, vt qui id auſi ſunt, vt comprehendantur, & ad clariſſ. prouinciarum præſides adducantur, poſt probationem, quod ceperint, in triplum reſtituturi: vt ſimplum iis qui damno affecti ſunt, reddatur, duplum verò in fiſcum inferatur. 1 ¶ Porrò qui in vicariana cohorte, quæ ſpectabili Aſianæ iuriſdictionis vicario apparet, locum & ordinem obtinent, ſuo bonorúmque ſuorum periculo publicorum tributorum illationi incumbant: cùm quidem in prouinciali cohorte numerentur (quemadmodum & id ad noſtram pietatem excellentia tua retulit) deficiant, numerúſque ipſorum in paucos admodum contrahatur, ac longo à iam tempore clariſſ. prouinciæ Phrygiæ Pacatianorum gentis præſidis magiſtratum etiam vicarius aſſumpſerit. Qui ergo in vicariana cohortem referuntur, facultatem habeant, vt ex vicarij qui nunc eſt, & pro tempore futurus eſt, iuſſu publicas contributiones exigant, illáſque fiſco inferendas curent. 2 ¶ Conſtituimus etiam, vt qui in quacunque prouincia prouinciales tributorũ ſuſceptores ſunt, in apochis quas faciunt, quod ipſis perſolutum aurum eſt, diſtinctè deſcribant: diſtinctè etiam ponant, quantum occaſione eorum quæ excellentiæ tuæ menſæ, quæque ſacris noſtris largitionib. competunt, tranſfuſum ſibi fuerit perſolutam quantitatem per huiuſmodi acceptilationes euidenter explicent & manifeſtent: denique ne qui facultatem habeant, vt quæ ex aliis titulis acceperint, in alios tranſponant & accepta ferant.

3 ¶ Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram pragmaticam declarantur legem, ea excellentia tua ad effectum deduci præcipito.

DE ARMENIORVM SVCCESSIONE.

### EDICTVM III.

PRÆFATIO.

ARmenios priſtina iniuſtitia liberantes, cum ad noſtras per omnia leges deducere, tum decora

# REGVLÆ ET SENTENTIÆ IVRIS TAM ANTIQVI QVAM noui ex vniuerſo corpore Iuris Ciuilis ſparſim collectæ & in ordinem alphabeticum digeſtæ:

*Opera & ſtudio Iohannis Hennequij nobilis & Iuris vtriuſque Doctoris.*

## A

A Communibus regulis propter cauſam aliquando recedendum, l.ſi domum, §.qui confitetur de legatis 1.

A falſo procuratore geſtum ratihabitione confirmatur, l.licet, ff.de iudiciis.

A maioribus & minor. iudicibus, præterquam à præfecto prætorio appellatur, l.à proconſulibus. C.de appellat.

A præfecto prætorio appellare non licet, l.vnica, ff.de officio præfecti prætorio.

A ſententia arbitri non appellatur, l.1.C.de recep. arb.

A ſubſtituto exhæredati, legari, vel fideicommitti non poteſt, l.cùm quidam, C.de codicillis.

A ſucceſſione filij poſtea facti adulti exceptio tutoris non petiti, matrem non excludit, l.matrei, C.ad Tertyllian.

Ab arbitri ſententia non appellatur, l.non diſtinguemus, §.cùm quidam, ff.de receptis arbitris.

Ab interlocutoria ſententia ante definitiuam non appellatur, l.ante ſententiæ, C.quorum appellat. non recip.

Ab executione ſententiæ diffinitiuæ non appellatur, niſi executor modum executionis excedat, l.ab executione, C.quorum appel. non recip.

Ab arbitri perſona non eſt recedendum, l.ſi quis arbitratu, ff.de verborum obligationibus.

Ab exhæredati ſubſtituto inutiliter legatum datur, l.126.de legatis 1.

Ab executione proceſſus non incipiendus, l.1.C.de execut.rei iudic.

Ab vltimis voluntatibus ad contractus argumentari poſſumus, l.46.de legatis 1.

Abſolutoria ſententia abſentibus accuſatoribus lata, ipſo iure nulla eſt, l.ſi accuſatoribus, C.de accuſat. & inſcript.

Abſque ſcriptura dos nudo pacto conſtituitur, l.ad exactionem, C.de dotis promiſſione.

Abſtinendum ab omni vi & iniuria, l.1.§.1.quod vi aut clam.

Abſurdum eſt illum iuuare qui de lucro captando certat, l.ſcimus, §.Etſi præfatam, C.de iure deliberandi.

Abſurda omnia reiicienda, l.nam abſurdum de bonis libertorum.

Acceptilatio pro ſolutione eſt, l.81.§.ſi Titio, de legatis 1.

Accuſator ad pœnam talionis ſe inſcribere tenetur, l.qui crimen, C.qui accuſ.non poſſ.&c.

Acta à procuratore videntur acta à domino, l.1.ff. de offic. procuratoris Cæſaris.

Actio famoſa conſtante matrimonio non competit aduerſus vxorem, ſed actio in factum, l.diuortijs, C.ne fideiuſſor vel mandator dotis.

Actio ex teſtamento æquiparatur actionibus bonæ fidei licet ſit ſtricti iuris, l.in minorem, C.in quibus cauſis.

Actio de dolo cum alia actione non concurrit, l.de dolo, C.de dolo.

Actio in factum ex æquo & bono conceditur, l.42. de legatis 1.

Actio quanti minoris ſex menſibus competit, l.ædilis, ff.de ædil.edict.

Actor forum rei ſequitur, l.actor, C.vbi in rem actio.

Actore non probante reus abſoluitur, l.res alienas C.de rei vindic.

Ad certam partem fundi ſeruitus tam remitti quàm conſtitui poteſt, l.ſecunda de ſeruitutib.

Ad conducendum vectigal nemo inuitus compellitur, l.locatio, ff.de publicanis.

Ad conſequentias non producenda quæ contra iuris rationem introducta, l.quod verò, ff.de legibus.

Ad conſtituenda ſponſalia ſufficit nudus conſenſus, l.ſufficit, ff.de ſponſalibus.

Ad decus vrbium pertinet ædificia non derelinqui, l.prætor ait, l.deinde, ff.de noui operis nunciatione.

Ad deterrendos animos hominum à delictis, pœna imponi debent, l.cum ſeruum, C.de ſeruis fugitiuis.

Ad furem ſemper ſpectat periculum interitus, l.licet, ff.de condictione furtiua.

Ad impoſſibile nemo obligatur, l.ſi quis in graui ad Syllanianum.

Ad matrimonium probandum inſtrumenta non ſunt neceſſaria, l.neque ſine nuptiis, C.de nuptiis.

Ad munerum qualitatem xenia producenda non ſunt, l.ſolent, in ſi.ff.de officio proconſulis.

Ad reſcindendum aliquod factum, non poteſt quis ſuam turpitudinem allegare, l.ſi creditoribus, C.de ſer. pig. &c.

Ad ſignif.